

1708.

1. Majerus, Joh. Facetus: Equisitionis utilitates et inconvenientia.
2. Beck, Joh. Tren: De despensationibus librorum neglectis consueta parentum iuribus.
3. Eberwein, Augustus Burkhardt: De transactione agreda.
4. Escherich, Joh. Fridericus: De judicis decreto immunitatis.
5. Fichtner, Joh. Georgius: De praemissis polypacidas.
6. Fichtner, Joh. Georg: De fractione insigniorum valy: Zeichnung Schatz und Helm.
7. Lammermann, Christph Augustus: Delibata Dissertatio iuriuum.
- 8^o. Ge, Joh. Nicke, Johann David: De aduersatione servitorum equestrium.

9. Luther, Joh. Galerius: De homicida in persona
errante

10. Rockeboccius, Georgius Pantus: De jure legii ingeniorum

11. Sturm, Joh. Henricus: Dissertatio in any. superioratae de morte.
12. Schroeter, Jakobus Chorographus: De exceptionibus

post sententiam opposi. solitis 2 Bspk.

13. Schroeter, Jakobus Chorographus: De exceptionibus post
sententiam opposi. solitis 1722.

14. Horre, Henricus Anton: De actionibus contra
magistratum vel judicem institutis.

1709

1. Bayerus, Georgius Conrado: De foro militum prisi.
legiatis.

2. Bilger, Jakobus Fridericus: De tribus confruens.
2 Bspk.

3. Damerath, Joh. Fridericus: De iure principibus sacro.

4. Fichtner, Joh. Georgius : De actione contradictionis
de sportatis

5^o Granger, Daniel : De jurisdictione fructibus

6^o Hildebrand, Henricus : De conservatione ferarum
nociv. Ver schriftlicher Heyng das Wild. Graeff


7. Hildebrandus, Henricus : De jure regali in eius
territorio super iurisdictionem non interfici.

8. Roenig, Iohannes Georgius : De mensibus dolorificis

9. Rink, Eustachius Tullius : De collisione legum
naturalium.

10. Sonnlegius, Christappon : Saltus ab extremis ad
extremum genitium sibi auctoram carnis princi
(quaer utique creaturæ Fastnacht)

11. Waelker, Georgius Christappon : Turcum in proprio
castru — dissert in publicam.



21 4
Q. D. B. V.
DISSERTATIO IN AVGVRALIS 18.
JVRIDICA

De
**JVDICIS DECRETO
IMMISSORIALI,**

*Qyam
SVB
DIVINO PRÆSIDIO,
EX DECRETO
MAGNIFICI*

JCTORVM ORDINIS

vniversitate ALTDORFINA

PRO LICENTIA,
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HO-
NORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

ritè obtainendi,

*Solenni & publica Ventilatione
Subjicit*

ad d. 30. Augusti 1708.



JOH. FRIEDERICVS ESCHERICH,
Werthemia - Francus.

Literis MAGNI DANIELIS MEYERI.

18.

DISCRETIONE MAGISTERIALE





PRÆFATIO.

Tametsi in judicio Camerali ex capite contumacia& lite non contestata semper procedatur in causa principali , nec regulariter amplius locum habeat immisso in bona , vigore R. I. de Anno 1654. §. Würde hierauf. 36. sed Reo non comparente in Termino petatur Proclama das Russen/ post proclama & Decretum, actor obediens expectet sex Juridicas , hisque elapsis soleat efflagitare , ut lis pro contestata accipiatur , & ipse ad ulteriora admittatur , quo facto in

A 2 causa

*causa submittatur, Ord. Cam. p. 3. tit. 52.
§. 3. Blum. Process. Cam. tit. 66. n. 61.
& seq. Sic sententia definitiva in Nego-
tio principali impetretur. Nihilominus ta-
men post varios & stuantis animi motus Pro-
cessum immisionis ob frequentiorem in aliis
judiciis usum & difficultatem hujus articu-
li, loco Dissertationis inauguralis pertra-
ctandum elegi. Titulum inscripsi de Judi-
cis Decreto immisoriali, quoniam ipsa
immisionis forma consistit in jussu Magistra-
tus, hic jussus partim verbis expressis niti-
tur Edicti, dum Praetor ait: Qui judicio
sistendi causa fidejussorem dedit, si
neque potestatem sui faciat, neque
defenderetur, iri jubebo. L. 2. ff. Ex
quib. caus. in pos. eatur. partim vero
declaratur per Magistratus pronunciationem
principientis immisionem, quae non tantum
in causa contumacia obtinet, sed & varian-
tibus circumstantiis quoad exercitium va-
rie*

¶ 5. ¶

rie applicatur aliis factis & negotiis. Et
licet supra in casu cautionis de judicio sisti
præstite immisso decreta arguitur, sine du-
bio tamen etiam non interposita fidejussione
idem dicendum, si reus legitimè citatus ne-
que per se, neque per alios, sufficienti man-
dato instrutus, defenditur, cum reliqua ju-
ra indeterminate loquantur, L. cum pro-
ponas. 9. cum authen. seq. C. de Bon.
auth. jud. poss. cap. Quoniam. 5. &
tot. tit. ✕. ut lite non contest. Ut
verò succinctè hecce materia pertractetur,
ordinis gratiâ eandem sequentibus capitibus
veluti cancellis circumscripam volui, di-
gurus nimirum (1) de Persona Judicis e-
jusque differentia ab aliis personis publicis,
(2) Quotuplex sit Decretum immisoriale,
(3) De Contumacia seu materia propria
hujus Decreti, ejusque pœnis diversis, (4)
De variis missionum Generibus, (5) de
Contrariis, (6) de Effedibus.

A 3

DIRI-

DIRIGENTE DEO!
TRACTATIO IPSA.

§. I.

Secundum Leges Imperii Principes & Status obligati sunt, ut judices idoneos rerumque forensium peritos muneri justitiae administrando praeponant. Recell. Imp. de Anno 1654. §. Wenn sich auch, 109. Vocabulum judicis compositum est ex voce *Jus*, & verbo *dicere*, est enim *Judex* Persona quasi *Jus* dicens. Varro Lib. 4. de LL. æquè notum atque satis cognitum puto, ac ipsius judicis descriptio est, quod sit persona publica, quæ controversias forenses legitimè cognoscendi ac decidendi potestate ac publica autoritate pollet. Hinc differt (1) à Notariis characterem personæ publicæ equidem habentibus, quorum tamen munus non consistit in cognitione & decisione litium, sed in Instrumentorum confessione. Constit. Maximil. von Ordnung der Notarien. de Anno 1512. §. Und nachdem. 3. (2) à Judicibus compromissariis, qui licet causam cognoscant ac decident, non tamen potestatem hanc judiciariam exercent autoritate publica, sed partium tantummodo consensu sibi tributam ac collatam. (3) à reliquis Personis publicis functionis & expeditionis intuitu ipsi sine uberiori explicatione satis contradistinctis. Qualitatem sive habilitatem judicis, quæ ad hoc munus obeundum requiritur, & ipsius officium nobile & mercenarium ejusque exercitium ut copiosius explicem, nec instituti ratio, nec pagelarum harum angustia patitur.

§. II. Ean-

§. II.

Eandem potestatem non habebant judices dati seu pedanei, quibus simplex & nuda de solo facto cognoscendi potestas concredata & concessa intelligebatur, qui que ex formula ipsis à Prætoribus præscripta, & ad unguem observanda controversiam dirimabant, neque exequi poterant sententiam, sed executionem Magistratus relinquere debebant. L. 15. π. de Re jud. Idcirco reprehenditur Prætor ab Ulpiano L. 5. π. eod. tit. quod in Edicto Jurisdictionis vocabulum minus appositè adhibuisset, ajens: CVJVS DE EA RE JVRISDICTIO EST, melius enim scripsisset, si dixisset: CVJVS DE EA RE NOTIO EST. Etenim notionis nomen etiam ad eos pertinet, qui jurisdictionem non habent, sed habent de quavis alia causa notionem. Nostris moribus etiam Magistratus municipales in possessionem mittunt. vid. Lauterb. ad tit. quib. ex caus. in poss. eatur.

§. III.

Pro expedienda justitia duas facultates judici esse concessas palam est. Altera in cognoscendo & decernendo consistit, & propriè jurisdictionis nomine venit. Altera iubendo absolvitur, & Imperii dénominatione indigitatur. Hæ si probè discernuntur benè intelligere possumus. L. Jubere. 4. π. de Jurisdic̄t. & L. Ea que. 26. π. ad Municip. quando ibidem processus immissionis in Bona, magis imperii, quam jurisdictionis esse afferitur; Et cum talis immissio non sit præcipitanda, ideo causæ cognitione opus est & Decreto; in causæ cognitione judicem adhibere oportet legalem solitudinem, num sufficiens adsit causa, vel res apud eum ventilata veritate nitatur; causæ cognitionem excipit Decretum Judicis, cui insimul immis-
sio

sio inserta, ita ut actor in corporalem possessionem rerum Debitoris pro causa custodiae realiter missus intelligatur L. 5. §. 27. n. Ut in possess. Legat. & fideicommiss. & sic immisso per judicem executioni non datur, nec in terminis nudi praecetti subsistit, prout formam hujusmodi immisionis ponit Specul. de prim. Decret. n. 5. & ex eo Coler. de process. execut. part. 3. cap. 8.

§. IV.

Decretum immisoriale duplex est, aliud primum vocatur, aliud secundum. Illud tantum permittit facultatem detinendae & custodiendae rei, in quam missio facta est, & sic consequitur jus in re, sive pignus praetorium. L. 26. n. de pign. act. & tot. tit. C. de pig. pret. ita ut liceat immisso detinere rem, colligere & custodire fructus eum in finem, quo reus contumax tædio affectus depositâ contumaciâ obediatur, & juri se fistat. Censetur hoc decretum modici præjudicii, quia contumax, si expensas litis solvit, & damna propter contumaciam data, sub cautione litis deinceps prosequendæ, res suas potest recipere, juxta Nov. 53. c. 4. & Auth. Ei qui. Cod. de Bon. auth. jud. poss. cap. Cum venissent. 3. ¶. de eo, qui mitt. in poss. Si reus per integrum annum à tempore primi Decreti numerandum reapse non solvit expensas, neque ad debitam suscipiendæ litis cautionem se offert, juxta dict. cap. cum venissent. 3. ¶. de eo, qui mitt. in poss. actor impetrare potest immisionem ex secundo decreto, quod majus præjudicium afferit, quia tribuit actori immisso veram possessionem & quandoque statim dominium L. si finita. 15. §. 16. & 33. n. de damn. infect. cap. 1. ¶. dict. tit. Cujus intuitu cum verè possideat, publicanam actionem habet. L. 18. §. 15. de damn. infect. & remedia possessoria d. §. 15. & consequitur fructus rerum, quos tamen non plene

¶ 9. ¶

plene lucratur sed in Creditum reputare debet, *L. Titia*
48. *π. de solut.* prius quidem in usuras, deinde in sortem;
Si satisfactum est possessori is jubetur possessionem ite-
rum dimittere, vel à judice debito modo iterum exmit-
titur, *Arg. L. 14. π. de Re jud.*

§. V.

Primum & secundum Decretum non sunt figmen-
ta Doctorum, sed vera juris Remedia, non tantum in
materia damni infecti, sed etiam in aliis usitata; Proxi-
ma utriusque causa est contumacia se in judicio non si-
stentium, nec respondentium, vel alias in casibus legitimi-
mis non carentium, *L. 2. π. Ex. quib. caus. L. si finita §. 16.*
de dam. infect. L. cum proponas §. C. de Bon. auth. jud. possid.
contra contumaces vero non eadem poenae competunt,
idcirco operae pretium est, demonstrare quae & quales
poenae his vel illis casibus locum sibi vindicent, præli-
minariter autem distinguendum puto; (1) inter causas
criminales & civiles, (2) inter Actorem & Reum, (3) in-
ter contumaciam ante vel post litis contestationem com-
missam.

§. VI.

In causis criminalibus poena contumaciæ est annota-
tio & confiscatio Bonorum *L. fin. π. de requirend. Reis.*
L. 2. C. eod. concomitans poena legalis est infamia con-
tumacis *L. 3. C. eod.* Hanc poenam confiscationis non
nulli equidem non opinantur correctam per *Nov. 134.*
c. 13. utpote cuius Dispositio tantum pertinere dicitur
ad publicationem Bonorum, quæ per quandam conse-
quentiam injungebatur condemnatis super crimine pu-
blico, in quo puncto correctio veteris juris est inducta.
Multi tamen id probabilius mutatum judicant *arg. tex-*
tus ord. Crim. 206. ex ratione quod fiscus excludatur à bo-
nis damnati de crimine scilicet alio quam de Crimine

B

laſæ

§. 10.

Iæstæ Majestatis, ergo multò magis excludendus erit à bonis contumacis, Bachov. in not. ad Treut. Vol. 2. disput. 31. thes. 4. Blumlacher ad Ord. Cam. art. 155. n. 7. In causis civilibus si actor est contumax sive ante sive post litem contestatam Reus impetrare potest absolutionem à citatione sive etiam sententiam in principali negotio ferendam per L. properandum 13. §. 1. C. de jud. Nov. 112. cap. 3. & cap. 3. sive de dol. & contum. Præterea Actor excluditur ab omni beneficio appellationis, idque non tantum intuitu expensarum, sive sportularum judicii, si in eas condemnatus sit, sed & si contra eum in causa principali vel in totum vel ex parte sit pronunciatum, v. g. Judex Reum condemnavit Actori omissa mentione usuarum non poterat Actor contumax appellare per L. properandum 13. §. 2. C. de jud. L. 1. C. quorum appellat. non recip. L. 23. §. f. n. de appell.

§. VII.

Quando Reus est contumax ante litis contestationem non potest contra illum procedi ad definitivam nec de jure Civili, nec de Jure Canonico. Nov. 53. c. 4. & cap. Quoniam frequenter s. dicitur ut lit. non contest. Sed actor impetrare valet immisionem in bona ex primo Decreto. L. 2. n. ex quibus caus. in poss. L. 21. §. 2. eod. Reus vero duplici via contumax fit, vel ex capite absentiae, vel ex capite occultationis in fraudem Creditorum, hujus distinctionis fundamentum habetur in d. l. 2. juncta L. fulcianus §. 1. & 17. Ex quib. caus. in poss. priori specie obtinet immissio in Bona, posteriori vero ex Edicto Prætoris hanc in rem edito, mox post solennes citationes ex sententia judicantis, bonorum pro modo debiti venditio est impetranda d. L. fulcianus §. 1. L. 16. §. 4. C. de his qui ad Eccles. config. quia tamen Creditor non tantum debet probare latitare debitorem, sed & in fraudem suam latitare,

§. II. §.

tare, ob difficultatem probandi præstat eligere alterum immisionis modum ex capite absentia quo non statim possessio tribuitur, sed bonorum detentio, & postea possessio secundum prius deducta.

§. VIII.

Quando Reus est contumax post litis contestationem, vel constat de meritis causæ principalis, vel non, si constat, fertur ad petitionem actoris sententia definitiva L. 13. §. 1. C. de judic. diciturque Reus contumax contraxisse Eremodicium, si non constat, obtinet immissio in Bona ex primo decreto, pro mensura debiti declarati cap. prout 4. §. de dol. & contum. Non vero is est effetus sententiae in contumaciam latæ, quasi contumax præcisè debeat condemnari, & amittere causam, sed si bonam causam habet, etiam ipse vincere debet; indistinctè tamen, sive vincat sive succumbat in expensas condemnandus est L. properandum 13. §. 3. C. de jud. cap. Quoniam frequenter s. §. ubi lit. non contest. Specialis casus est in Recess. Deput. de anno 1600 s. In dent Fall aber 102. ubi in causis pupillorum vel minorum proceditur in contumaciam, non in puncto principali, sed ad immisionem in Bona ex primo vel secundo Decreto, & quidem in bona non pupillorum vel minorum sed tutorum & Curatorum, Ord. Cam. Part. 3. tit. 52. quorum punienda fuit contumacia neque correcta est hæc dispositio per R. I. 1654. §. Würde hierauf, Blum. Process. Cam tit. 66. n. 55. Quia lex Generalis subsequens non tollit Legem præcedentem, speciali ratione subnixam, cum alias generi per speciem derogari soleat, per L. 81. n. de R. I.

§. IX.

Dantur autem in Jure variæ species immisionis in Bona, veluti in pignore conventionali, vigore cuius licet Creditori Bona debitoris ingredi ex pacto executivo

propter retardatam solutionem, quare clausula nostro tempore obligationibus inseritur: Es soll der Creditor fug und Macht haben mit oder ohne Recht das unterpfandete Gut an zugreissen / in possess zu nehmen und zu veräußern. Nec tamen ubi debitor non solvit, nec in possessionem Creditorem spontem admittit violenter & privatum ejici potest, imo et si ingrediatur istum fundum oppignoratum creditor propria authoritate, solus ingressus non tribuit actualem possessionem, sed si vult possessor legitimus fieri, accedere debet authoritas judicis, conf. Dn. Stryk. de in vestig. act. seq. 2. memb. 5. §. 12. à quo ex Lege conventionis creditor immitti debet, non quidem in universa bona, sed pro mensura & quantitate debiti. L. Creditores 3. C. de pig. & Hypoth. Hoc pactum de occupando possessionem vel ingrediendo differt à clausula constituti possessorii, qua possessio naturalis & civilis in constitutarium transit. L. 13. pr. de acq. vel amitt. poss. Coler. process. execut. part. 1. c. 5. n. 115. & seq.

§. X.

Cum porrò pignus judiciale, quod capitur sententiæ exequendæ gratia, victor non aliter consequatur nisi immissione per competentem judicem facta. Brunn. process. civ. c. 29. §. 2. non inconsultum erit de hoc puncto, si in causa judicati pignus captum sit, differere. Nimirum si pars condemnata non satisfacit judicato, res condemnati pro executione sententiæ pignoris loco capi solent, ut publicè veneant, indeque parti victrixi satisfiat, debitore non solvente aut si per dolum adversarii res vendi nequeant, auctori dominium pignorum captorum addicitur secundum L. fin. C. si in caus. jud. pig. capt. sit. junct. L. fin. C. de jure dom. impetr. In ista pignorum judicialium capture à legibus praescriptus ordo servari debet, ut primo res mobiles, vel si hæc non sufficient res immo-

immobiles, ad extremum vero nomina capiantur & in causam judicati legitimè convertantur L. à Divo Pio. 15. §. 2. de Re jud. Carpz. in Process. tit. 25. art. 2. §. 1. & 2. n. 10.

§. XI.

Imperator Antoninus Augustus rescriptis certis ex causis etiam in propria bona heredis, legatarios & fideicommissarios esse mittendos ob moram satisfactionis, id est, si à tempore relictí legati intra 6. menses hæres ob legata & fideicommissa non satisfecerit, tunc per Decretum legatarii & fideicommissarii particulares facultatem accipiunt eundi in bona heredis & percipiendi fructus ex illis pro modo legati, & quantitate debita, usque ad plenariam satisfactionem. L. 5. §. 16. π. ut in poss. legat & fidei L. 6. Cod. eod. tit. vid. Magnif. Dn. Stryk. Tract. investig. art. sect. 4. memb. 4. §. 92. non tamen competit missio distrahendi facultas, in quo pignus hoc, à pignore conventionali differt, sed fit solummodo in bona hæc missio propter moram cautionis legatorum vel fideicommissorum gratia præstandæ L. 1. §. 1. & L. 13. π. dict. tit. Prætor enim dedit hoc legatario & fideicommissario conditionato ac sub die honorato, ut eidem caveatur, hinc satisfactione rite interposita, extinguitur hæcce immissio præatoria. Cæterum ille qui fideicommissorum servandorum causa missus est in possessionem, non prius de possessione decedere debet, quam ei fideicommissum solutum aut eo nomine satisdatum fuit L. 13. π. eod.

§. XII.

Aliud Exemplum occurrit in L. 2. C. *Ubi in rem aet. exerceri deb.* in eo qui alieno nomine rem immobilem possidens litem ab aliquo per in rem actionem sustinuit. Hic statim in judicio viva voce vel in scriptis dominum suum nominare tenetur, ut litem à se avertat, & ab instantia absolvatur, Dominus verò rei controversæ illam

¶ 14. ¶

excipiat, ac jus suum defendat, vel per se, vel per procuratorem, certo dierum spatio à judice definiendo, si nominatus venit, actoris intentionem suscepturus, judex secundum communem judiciorum ordinem procedit, & tandem sua sententia causam dijudicat; si autem nominatus post triplex edictum citatorum non comparet in judicio, judex summatim causam cognoscens, actorem in possessionem rerum mittere non tardabit d. L. 2. & cap. ult. ¶ ut lit. non contest. ita tamen ut nominato absenti jus proprietatis, si quod habet, & petitorum salvum reservet d. L. 2. ibi: omni allegatione absenti de principali quastione reservata, quod ipsum confirmavit Elect. Sax. in ord. Process. cap. 14. §. ult. vers. Es wäre denn daß der Beklagte das Jenige / warumb Er beklagt wird / nicht vor sich selbsten / sondern von eines andern wegen innen hätte / und vor der Kriegs- Bevestigung / den / welchem es angehört angebe / und Ihm den Krieg anzukündnen bate / dann auf solchen Fall würde Er sine expensarum refusione billig ex lite gelassen / und die Sach würde von dem rechten Herrn des Guts ausgeführt. Lauterb. Vol. Disput. 18. de Nominat. §. 27.

§. XIII.

Similiter hoc spectat & illa decernenda immisso, quando inter binas ædes paries esset, qui ita ventrem faceret ut in vicini domum semipedem aut amplius procumberet, vicinus cautionem damni infecti petere potest, L. 7. pr. n. de dam. infect. sed necessarium est, ut oculo corporali, ruinosa domus videatur, qua ex parte periculum immineat. Hæc ocularis inspectio fit authorita publica Magistratus vel Judicis L. ad officium 8. §. 1. n. fin. regund. L. 1. §. 4. de vertr. inspic. per peritos in arte murarios, parte, cuius inter est, citatâ. Denique praesentes Commissarii rem oculis subjiciant & ad committentem

teritem referant. Ruland. de Commiss. P. 1. Lib. 1. n. 15. & part. 2. L. 3. cap. 4. n. 2. item cap. 10. & 11. quo facto iudex pro ratione periculi, vel damni cautionis quantitatem determinat, si damni infecti non cavetur, ex edicto mititur vicinus in possessionem à prætore in eam partem, quæ ruinosa esse videtur L. 15. §. 1. π. de damn. infect.

§. XIV.

His speciebus connumerari meretur immissio iustiniane ex L. fin. C. de Edict. D. Hadriani. tollend. vi cuius hæres testamentarius sive exesse, sive ex parte institutus Testamentum Judici offert, nullo visibili dispositionis vitiò laborans, sive ut verba legis habent, quod non cancellatum neque abolitum neque ex quacunque suæ formæ parte vitiatum, sed quod prima figura sine omni vituperatione appetat, petitque, ut iudex imploratus impertiatur officium suum, ipsumque in testamento exhibito heredem institutum, ex voluntate ultima defuncti testatoris immittat in possessionem rerum vel bonorum relictorum, dilata quæstione in judicium petitorum, an testator testamenti faciendi jus habuerit, vel an testamentum valeat hominis valde ægroti, vel quod factum est ad interrogationem, an non valeat. Perez. ad Cod. cit. tit. per tot. conf. Mev. P. 2. decif. 281. vid. Magnif. Dn. Stryk. Tract. de Caus. Testam. pag. m. 335.

§. XV.

Hic etiam quæritur, an non sponsa in casum si contumaciter sponsus nuptias consummata differat, in bona ipsius immitti possit, ut exinde interea alimenta sibi quærat? in Casu sponsæ defloratæ hoc extra dubium ponit Carpz. Juriprud. Eccles. Lib. 2. def. 136. fundamentum ejus situm est, in commiseratione personæ imprægnatæ, & deperdita fortuna præterea in favore partus, ut conceptus crescere, & nasci possit, quo pertinet tot. tit. de ventr.

ventr. in poss. mittend. Verum idem juris quoque esse
puto, quoad ipsam sponsam, si alimentis opus habeat,
quod immisionem in bona sponsi pro illis consequen-
dis, petere possit, Ratio hæc est, si enim sponsus non
contumax in consummando matrimonio fuisset, alimen-
ta ipsi præstare debuisset, ergò ob contumaciam, ne ex
delicto suo consequatur commodum pariter tenebitur.
Quo remedio sponsæ etiam consulti potest, si sponsus
penitus eam deserat, vel matrimonium consummare de-
trectet, ut in sponsi bona immittatur, pari effectu, ac
si cum sponso legitimè copulata fuisset, Carpz. Juruprud.
Eccles. L. 2. def. 136.

§. XVI.

Denique est notandum, Phrasin istam subinde huc
usque memoratam mitti in possessionem aliter à feudi-
stis usurpari, aliter verò à Jctis Romanis. Nam Jure
Justinianeo cum in possessionem rei mittit prætor, non
oppido possessionem tribuit, sed tantum custodiam re-
rum & detentionem concedit, non enim veram immis-
sus consequitur possessionem nec naturalem nec civilem.
L. 3. §. ult. n. de acq. vel amitt. poss. L. 12. Ex quib. caus. in
poss. eatur. L. 15. §. 20. & 21. n. de damn. inf. L. 5. pr. Ut in
possess. legat. vel fideicomm. feudistis autem in possessionem
feudi mittere idem est, quod vacuam feudi possessio-
nem tradere, sive realiter & naturaliter investire 2. feud.
7. §. ult. ibi: *investitura facta & fidilitate subsecuta omnimo-
do cogatur Dominus investitum in vacuam possessionem mittere,
quod si differat, omnem utilitatem ei præstabit.* Actor verò
intendens vacuam possessionem sibi tradi oportere, vel
per Pares Curiæ, vel per breve testatum probare de-
bet, investituram factam esse 2. feud. 2. quam probatio-
nem si præstiterit, in possessionem feudi à Domino im-
mitti debet. 1. feud. 4.

§. XVII. Si-

§. XVII.

Sicuti omnis actus imperii, quem Judex incompetens exercet, ob defectum Jurisdictionis nullitatem substantialem & insanabilem contrahit, itaque nullitate apparente, tametsi fatalia appellationis neglecta sint, jus partis nihilosecū salvum est L. 1. §. 2. π. quod quisque jur. in alt. stat. Recess. Imp. de anno 1654. §. Bey den Jenigen Nullitatē 132. ita neglecta forma processus immisionis faciendae à Lege præscripti, decretum immissionis contra hanc formatum vitio nullitatis afficitur, tanquam præcipitanter, & sine sufficienti causæ cognitione emissum. Judicem enim oportet causas apud se ventilatas plenè cognoscere, & sollicitudinem adhibere, priusquam ferat sententiam. L. Hac Lege 2. Cod. de Sent. & interloc. Hinc missio etiam debet adversario denunciari, vel uni ex domesticis aut si nulli adsint, Affinibus & Vicinis per quos verisimile sit brevi futurum, ut rem gestam absens resciscat. L. fin. Cod. si per vim vel al. mod. cap. fin. 2. de eo qui mitt. in possess. rei seru. caus. L. 4. §. toties π. de damn. infect. Alioquin debitor eum qui missus est propria auctoritate impune prohibere & officialibus à judice missis resistere potest. d. L. fin. si per vim. L. 170. de R. I. L. 5. Cod. de Jure fisci.

§. XVIII.

Supereft ut de effectu consequente immissionem pauca afferamus, is autem varius est, & multiplex, aliis enim ex parte judicis immittentis, ne ejus decretum vel iuslio ad contemnum temere eludatur; alius ex parte Actoris & Rei, si quis jus dicenti non obtemperaverit, & id quod extreum est jurisdictionis non fecerit,

C

hoc

hoc est actum immisionis vel executionis impediverit, poena proponitur, ut quanti ea res est condemnetur à judice. L. un. π. si quis jus dicent. non obtemp. possumus autem ex Lege 193. π. de Verb. sig. perspicere hæc verba quanti res est: ad aestimationem pertinere, si enim præcisè importaretur quantitas debiti petiti in judicium deducta, uti nonnulli Doctores volunt, quid opus esset ista aestimatione, unde probabile est, judicem pro circumstantiis renitentiae factum illud estimare, deinde poenam modoleviorem, modo graviorem irrogare posse. Huc pertinent ex Praxi Imperii *Comminationes & Declarationes parvarum* quæ mandatis supremorum Tribunalium solent inscribi, quæ poenæ postmodum extremè morosis, quique sententiae mandatorum non parent solent injungi. Ord. Cam. Part. 2. tit. 25. Blum. Process. Cam. tit. 3. n. 14. & 15.

§. XIX.

Quando quis missus non admittitur sive impeditur venire in possessionem, respectu actoris effectus consequens est, ut applicetur remedium cap. contingit & de dol. & contum. sc: ut post lapsum anni veram possessionem nanciscatur, cuius intuitu remedia possessoria habet, L. 18. §. 15. de dam. inf. Similiter ad interesse ex interdicto prohibitorio contra impedientem aget. L. i. pr. π. Ne fiat via ei qui in poss. Aut implorare potest officium judicis pro immisione per manum militarem expedienda. arg. L. 68. de R. V. Si Actor qui Reum provocavit contumax in comparendo ante litem contestatam existit, Reus ab instantia judicis est absolvendus, si post litem contestatam & de causa liqueat, etiam definitivè absolvendus, si non liqueat, ab instantia, L. 13. §. 2. Cod. de jud. Auth. Qui semel Cod. quomodo & quand. jud. sent. Sed Jure Canonico etiam ante

¶(19.)¶

ante litem contestatam, si Reus onus probandi in justitiam auctoris, in se suscipere velit. Si autem auctor contumax Reum denu[m] citari petat, audiendus non est, nisi prius eaverit se in Termino judiciali fideliter comparitum. cap. 1. ¶ de dol. & contum. & nisi prius expensas restituat cap. 2. eod. L. sancimus 15. Cod. de jud. Carpz. lib. 3. Respons. 30. porro si missus in possessionem fructus dissipet, tunc fructus dissipati revocantur, & cum aliis sequentrantur cap. 2. ¶ de sequest. poss. & fruct.

§. XX.

Si Reus post litem contestatam est contumax, ad sententiam definitivam procedi potest. L. 8. Cod. quomodo. & quando jud. sent. prof. non autem est effectus sententiæ in contumaciam latæ, quasi contumax præcisè debeat condemnari, sed si bonam causam habet, etiam ipse contumax absens vincere potest, indistinctè tamen sive vincat, sive succumbat in expensas condemnandus per L. properandum §. 3. Cod. de jud. cap. Quoniam frequenter s. ¶ ut lite non contest. Si verò non liquet, potest peti immissio ex primo decreto pro causa custodiæ L. 8. C. quomodo & quando jud. sent. prof. cap. 4. ¶ de dol. & contum. post annum verò ex novo decreto agitur ad veram possessionem. Ord. Cam. Tit. 42. §. Wo aber der Kläger, in contumaciam lis habetur pro contestata, & sic etiam lite non expressè contestata ad sententiam definitivam perveniri potest, Myns. Cent. 4. observ. 66. Sicut idem moris est de jure civili in instantia appellationis L. fin. §. 4. Cod. de temp. appellat. Si quis autem non dolosè emanserit, sed justo impedimentoo excurrentium scilicet aquarum inundatione, contagii periculo, aut aliis casibus fortuitis indeclinabilibus v. g. Carceris detentione, arresto retentus fuerit, quo minus

C 2 venire

¶ 20. ¶

venire ac parere potuerit, justum & æquum omnino erit, huic licet majori succurrere, modo id nitra decendium petatur juxta doctrinam Baldi in L. fin. n. 10. Cod. de temp. in integr. restit. id quod pariter confirmatum est in Recessu Deput. Imp. de anno 1600. §. Als auch die Restitutions 93.

§. XXI.

Evitabitur tamen præjudicium immissionis ex secundo Decreto, si ante lapsum anni offeratur cautio de judicio sisti, nec sola voluntas hic sufficit, sed præstanta ea est, vel fidejussionibus, vel per juramentum, quia in subsidium sufficit cautio illa, quam quis præstare potest. Panorm. in cap. 1. ¶ de eo qui mitt. in poss. rei serv. caus. Judici autem illa securitas adhibenda, parte cuius inter est citata, vel etiam in defectu judicis interponenda coram honestis personis cap. 11. §. præterea ¶ de offic. jud. ord. Quod si per partem vel judicem stet ne illa cautio præstetur, haec habetur pro præstita & annus non currit c. 2. ¶ de eo qui mitt. &c. Revocata per cautionem missione expensæ non litis tantum, sed in re probabiliter factæ, restituuntur L. 9. m. de reb. auth. jud. poss. Deinde removetur præjudicium immissionis ex secundo Decreto, cum Reus probat se contumacem non fuisse, vel annum à tempore primi Decreti lapsum esse negat, sic enim cautione non præstita, nec restitutis expensis, cessabit missio cap. 3. ¶ eod. tit. ex quo probatur etiam contra Rei publ. causa absentem, missiones exprimo Decreto locum habere, quia potuit procuratorem domi relinquere, sed ad secundum Decretum perveniri non debet, sin secus datur restitutio L. 4. Cod. de restit. mil. Panorm. in cap. ult. ¶ de eo qui mitt. in possess.

§. XXII. Si

§. XXII.

Si Dominus rei suæ immobilis utile dominium promisit, & promissarius repromisit fidelitatem suam, ex hac conventione oritur obligatio, & actio ad rem tradendam, nec dominus liberatur offerendo id quod interest, sed Vasallo præcisè rem ipsam de qua investitaram fecit 1. feud. 3. in fin. &c 2. feud. 26. ad exemplum venditoris arg. §. 2. I. de donat. tradere tenetur. Hic obstat textus 2. feud. 7. ubi Domino tradendæ rei necessitas remissa, & litis aestimatione præstata dominum liberum pronunciare feudista videtur. Sed locus iste cum nostro bene convenit, eique saltem aliquid adjicit, hoc nimirum, quod Dominum rem, de qua investitaram fecit non modo tradere oporteat, sed præterea etiam, ad omne damnum quod ex mora sua vasallo causatus est, resarcire & refundere obstringatur.

§. XXIII.

Sufficit hoc de decreto judicis immixtiorali pro instituti mei ratione primis quasi digitis tetigisse, difficultas & utilitas hujus materiæ in foro magis me peritorem efflagitasset, sed ego qui studium theoreticum ab eo quod in foro applicandum nunquam separandum duxi, thema hocce Practicum ideo selegi quotiam eum in finem bonas artes & partes juris addicendas existimavi, ut in Reipublicæ & fori commodum istis navatâ opera dirigeretur, ac denique quotidiano usi in ipsis rerum documentis magis magisque firmetur arg. §. 6. I. de Satudat. Hinc Candide Lector, si non omnia convenienti trahite proposita aut quedam huic conatur deesse deprehenderis, tuo judicio discretivo ea benevolè corrige, Tuis-

C 3 que

que plenioribus legum scitis supple, haud immemor tam
en effati *in constit.* dedit. nobis Deus s. 113. apologetici ab
Imperatore Justiniano nobis relikti. Tandem TIBI o
Celeste Numen pro Gubernatione vitæ & Tutela viri
um mearum, potissimum quod studia mea. academica be
nignissimè disposuisti & bono exitu prosperare, clemen
ter voluisti, gratias ago, immortalesque habeo, humil
limè obsecrans, ut porro conatus meos omnes adjuva
re velis, in augustinissimam Nominis Divini gloriam,
proximi charitatem, Patriæque
salutem.

FINIS.



Qui

Q Vi sua Castaliis impendit tempora Musis,
Hunc sequitur certo gloria, fama,
decus.

Hinc Themidos justæ fueris quum semper ama-
tor,

accipis & studio præmia digna Tuo:
Effice, *Decreto* summos ut scandat honores,
Tu Themis, *immittas* in Tua templo Vi-
rum.

Gratulor ex animo, Numen Tua cœpta secundet,
& Te perpetua prosperitate beet!

Nobilissimo DOMINO CANDIDATO,
pro merenda Juris Licentia ul-
timum specimen subituro ani-
mitus gratulaturus hecce ad-
ponebat

HENRICVS HILDEBRAND, D.
& P. P.

Est Juris nostri prudentia practica tota,
qui leges transfert è scholis promptus ad usum
Practicus exaudit, tali quoque dignus honoris
ESCHRICH, est Titulo, conscribens practica mixta,
sed per id ingenium simul Author monstrat acutum
& docet æquales, eadem si præmia poscant,
si Responsa suis aliquando Clientibus æqua
tradere concipient, æquali Tramite currant.

Gra-

24.

Gratulor inteteà Musarum nomine Gradum
sors semper vernans Virtutis & Artis alumnū
hunc maneat, laudes meritas nec Livor ~~frim~~bret.

Hinc
Nobilissimi atque Jurium peritissimi
DOMINI CANDIDATI,
Amici sui suorumissimi
elegantiam studiorum admiratur

CAROLVS MAVRICIVS Hofmann
Jur. Licent.

Est ita; Virtutem sequitur sua Gloria sponte,
ut solidum corpus solet affectarier umbra.
Semper enim, ut fas est, digno excipiuntur honore,
pergivili cura & studia acquista labore.
Id quod perdoctis in praesens bisce libellis
egregio exemplo bene, dulcis Amice, probasti.
Hinc appludo Tibi, Patriæ prænobile Lumen,
ESCHRICHI: salve, & felicibus utere satie.

Prænobilitissimo DOMINO ESCHERICHO,
J. V. Doctorando meritissimo,
de summis in Jure Honoribus gratulari
simulque hinc discendenti propitiis viales apprecari
paucis hisce rudi quidem minerva
sed affectu sincero scriptis
voluit debuit

Erhard. Spiz. J. V. Ddus.



Aldorf, Diss.) 1708/09


ULB Halle
004 574 63X

3



TA → OL

nur T + B verknüpft und f



21
Q. D. B. V.
DISSERTATIO IN AVGVRALIS 18.
JVRIDICA
De
JVDICIS DECRETO
IMMISSORIALI,
Qvam
SVB
DIVINO PRÆSIDIO,
EX DECRETO
MAGNIFICI
JCTORVM ORDINIS
in
VNIVERSITATE ALTDORFINA
PRO LICENTIA,
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HO-
NORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
ritè obtinendi,
Solenni & publica Ventilationi
Subiectet
ad d. 30. Augusti 1708.
JOH. FRIEDERICVS ESCHERICH,
Werthemia - Francus.

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

